



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 13. Gregorij Pontificis. VII. & Conradi II. Imperatoris futuræ potestatis à
Deo ominosus & efficax casus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

tiam interturbandam, caneret, oculi, vi
 diuina, cauis veneficæ orbibus euulsi illum
 ipsum versum cruore notabilem fecerunt.
 Fuit autem & illud luculentum diuini judi-
 cij testimonium; quòd, postquam Kenul-
 phus Merciorum rex Kehelmum Quendri-
 dæ sororis fidei, fratrem ipsius, filium su-
 um commendauit, eaque illum, per speci-
 em venationis, in siluas eductum à satelli-
 te obruncatum, tanquam nouum Poly-
 dorum, inter fruteta sepultum, occultauit,
 Romæ columba, super altare S. Petri, mem-
 branam litteris Anglicanis exaratam deie-
 cerit, in qua, ordine, & latrocinium, &
 locus sepulturæ occisi Kenelmi detegeba-
 tur. Sic omnia fiunt palam, sed nihil mi-
 nus latet, quàm homicidæ: & innocentia
Casusq; Deusq; patrocinator.

§. XIII.

*Gregory Pontificis VII. & Conradi II. Impe-
 ratoris futura potestatis a Deo ominosus
 & efficax casus.*

Baron.
 tom. II.
 Annal.
 An. Chr.
 1073. n.
 XVI.

De Gregorio Papa VII. refert Cæsar Ba-
 ronius, eum fuisse patria Soanensem, è Tus-
 ciæ ciuitate, natum humili loco, parente
 fabro (quod ignominia causa aduersarij il-
 li obiecerunt, cum tamen ipse Dei Filius fa-
 bre

brifilius voluerit dici) cùm puer esset, lusitafse ad pedes patris ligna dolantis; atque tum ex reiectaneis segmentis, cum nesciret litteras, casu elementa illa formasse, ex quibus simul coniunctis illud Dauidicum exprimeretur oraculum: DOMINABITVR A MARI VSQVE AD MARE; quo significaretur (manum pueri ductante Numine) eius fore amplissimam in Mundo auctoritatem. *Hac cunabula eius, & quod in puero praestensum est diuinitus signum*, ait Cardinalis. Vnà ergo fuit videre, in puero casum, & à Deo vaticinium; quod nequaquam credendum est, casu accidisse, sed consilio diuino. Quem admodum & illud, quod Gotfridus Viterbiensis de Conrado II. Romanorum Imperatore refert his verbis: *Cuano dux erat, summus inter Principes, sperans sine dubio Imperium obtinere: qui à ceteris principibus interrogatus: Quisnam ad imperium aptior videretur? Respondit quasi derisorie, dicens: Nepos meus dux Conradus videtur ad Imperium aptissimus. Credebat enim hoc impossibile, & propterea eum nominauit. Quo audito, vniuersi laudant eundem Conradum, & eligunt eum. Dux verò Cuano contra dixit. Sed tamen praeualuit electio vniuersorum.*

Psal. 72.

Gotfr.
Viterb.
part. 17.
Chroni-
ci.